



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiae Parisiorum, 1678**

Eidem Soteria. Cum è periculosiſſimo dysenteriae morbo tandem esset  
recreatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Quæ renovas, quoties scalpro perfecta fideli  
 Effigies oculis sese mirantibus offert;  
 Et placida frontis mihi majestate renidens,  
 Permittit simul alternum & promittit amorem.  
 Ergo ego, quando vetor voces audire loquentis;  
 Aspectuque frui, calamo confabulor absens;  
 Et desiderii pennis inVectus, amœnos  
 Nunc lustro Paderæ fontes, & florea rura  
 Neuhusii. Musas nunc tecum in valle reducta  
 Cantantes, tantoque beatas præside adoro.  
 Et juvat auditos imitando reddere cantus,  
 Ac similes tentare modos non viribus æquis.  
 Nec revocare gradum, carasque relinquere sedes  
 Posse putem, Fernande: aurem ni vellat Aquinas  
 Austero increpitans vultu, invitumque reducat  
 In loca senta situ, & pungentibus horrida dumis;  
 Jamque vale: feror ingenti circumdatus umbra;  
 Omnis & ex animo Phœbi lux pulchra refugit,

## E I D E M

## SOTERIA.

*Cum è periculosissimo dysenteria morbo tandem  
esset recreatus,*

**Q**UAS superis reddam grates pro munere vitæ  
 Ferdinande tuæ? Queis vatum turba piorum  
 Mecum aras cumulet donis te sospite sospes,  
 Sublato interitura, simulque premenda sepulchro?  
 Ipse quidem tanti cum nuntia fama pericli  
 Perculit infandis trepidas rumoribus aures:  
 Extemplo tenebris sensi per lumina obortis

CARMINUM LIB. II.

Caligare diem. Coit formidine sanguis;  
 Defecere animi, rigitque immobile corpus:  
 Ut Nioben perhibent natorum strage suorum,  
 Phineaque aspectâ quondam obriguiffe Medusâ.  
 Membrorum interea vinculis & mole caduca  
 Libera mens, qua certa viæ tua ducit imago,  
 Ingreditur: celeres amor & metus addidit alas.  
 Non illam montes, aut plenis flumina ripis,  
 Æquoreive lacus remorantur. It æthere aperto:  
 Fulguris inque modum celsa superastitit arce  
 Neuhusii. Tum furtim ipsis penetralibus audax  
 Irrumpit, vigilum nulli observata tuorum.  
 Atque ibi languentem suspiriaque ægra trahentem  
 Te videt. Exanguis macies nudaverat ossa,  
 Inque tuo vultu pallorque, & plurima leti  
 Sederat effigies. Quantum ah! mutatus ab illo  
 Principe eras, vinctum aurata quem tempora mitra,  
 Regali & nixum baculo mirantur ovantes  
 Delubris populi, & ceu præsens numen adorant.  
 Muta metu thalamos cingebat turba medentum,  
 Et variis corpus succis atque arte fovebant  
 Pœoniâ, incassum. Morbi violentia cunctas  
 Herbarnm exuperat vires, gliscitque medendo.  
 Jamque propinquabat tacito mors improba gressu,  
 Sanguineam quatiens falcem. Tulit obvia contra  
 Brachia flammatus pulchro Schatenus amore:  
 Inque suum avertit letalia vulnera pectus.  
 Labitur, & patroni animam supponere fatis  
 Lætatur moriens. Tum nube incinctus Apollo,  
 Ne cari vitam sibi non deberet alumni,  
 Venit. Eum longo stipabant agmine Musæ,  
 Et Charitum chorus, atque exercitus omnis amorum.

Ipse videbaris dextram sentire potentem ;  
 Auxiliumque Dei. Sensimque redibat in artus  
 Et vigor , & primæ robur cum flore juventæ.  
 Torckius indigetum templis solvebat honorem  
 Votorum reus : & motis ad carmina nervis  
 Vatum animos cupida suspensos aure trahebat ,  
 At læti pulsa tandem formidine cives  
 Certatim dapibus curas & nectare Jacchi  
 Laxant , nocturnasque incendunt ignibus umbras ,  
 Atque incompositis referunt spectacula ludis.  
 Dum sibi gratantur ; dum te patriæque parentem ,  
 Custodemque optant producere Nestore vitam  
 Longius , Euboicæque annos æquare Sibyllæ :  
 Excussus plausu sopor , & mens reddita membris ,  
 Ac simul effugere oculos regalia tecta ,  
 Et fontes Paderæ , & Romani limes Aliso  
 Imperii. Sed non etiam tua dulcis imago ,  
 Ferdinande , mihi cum somno lenta recessit :  
 Æternum hærebit memori sub pectore fixa ;  
 Nec proprios unquam sibi deesse queretur honores ,  
 Turaque , floresque , & Musarum carmina munus.  
 Illa quidem male grata , tuisque haud digna referri  
 Auribus : at purum domini testantur amorem.  
 Nec vero si Dii vocem & plectra æmula Flacco  
 Annuerint , donentque Andinos vincere cantus ;  
 Par laudi sperem esse tuæ. Immortalia facta  
 Immortalis egent calami : solusque triumphos  
 Quos meruit virtus , potes æquiparare canendo.